

---

JOHANNIS HEVELII Observationes, circa  
nonnullas Occultationes Fixarum, GEDANI An-  
no 1683. habitæ.

Cum Astronomia Cultoribus nuper promiserim, me iis quoque velle  
(ut circa ternas illas Conjunctiones magnas factum est) breviter ex-  
ponere, quæ circa quarundam stellarum Occultationes, atque non-  
nullos Luna congressus, mihi ab 11. Febr. hucusque deprehendere obtigit,  
facio id nunc animo lubentissimo, nihil potius exoptans, quam ut meæ  
observatiunculæ in commodum Uranie quodammodo cedant.

1. Die 11. Febr. anni hujus currentis 1683. vesperi sperabam non so-  
lum partem Eclipsoes Lunaris (prout Tabulæ spem faciebant circa Lunæ  
exortum & occasum Solis) sed & simul occultationem Reguli me obser-  
vaturum. Quare onine tempus pomeridianum in specula impendi; verum  
frustra: siquidem cœlum totum ad horam usque nonam vesp. nubibus  
obscurissimis ita erat obductum, ut nihil quicquam, ne quidem unicam  
stellulam conspicere licuerit. Post vero nonam Luna emersit, sed pror-  
sus ab omni umbra libera, sic ut nihil penitus de illa Eclipsi deprehensum  
fuerit. Occultationem Reguli, quod attinet, quæ pariter hac die celebrari  
debebat; sciendum, quod hora nona cum Luna in oculos incurreret, Con-  
junctionis dicta, jam esset præterita. Si quidem Regulus jam satis longe occa-  
sum versus à Luna removebatur; ita ut ea ipsa conjunctione (quantum ru-  
diter colligere dabatur) oriente circiter Luna hora scil. 5. vel 6. contige-  
rit: utrum autem Regulus omnino tectus sit, an vero tantummodo transi-  
tus fuerit, haud adeo accurate deprehendere licuit. Si cœlum occiden-  
te Sole omnino annuisset, præclarissimum extitisset spectaculum hanc con-  
junctionem, una cum particula Eclipsoes debite & accurate annotare.

2. Die 2. Aprilis vesperi proposueram Planetas tantummodo observare;  
sed cum vidissim tres stellulas minutissimas haud procul à Lunæ limbo  
obscuriortum versus existere, quas Luna juvenis, in minima libratio-  
ne ad Paludem Maotidem degens, fine omni dubio tegeret, accinxi me pro-  
tinus ad observationem jucundissimi hujus spectaculi, & quidem Teleco-  
pio egregio. Negotium etiam hocce ex voto successit, sic ut binas stellu-  
las A & B distinctissime viderim à Lunæ limbo, licet obscuriori, occulta-  
ri. Tertia vero stellula C non tecta est, sed in ipsa Conjunctione distabat  
à Lunæ cornu inferiori Austrum versus 4 circiter minut.; sicuti ex apposito  
schemate videre est. Sectio luminis & umbræ hac die per Montes Serro-  
rum & Carpatos, per Sinum Peronicum, inter Byzantium & Inf. Cyaneam  
per M. Amanum, Taurum, Uriique montes incidit.

Prior stellula A in Catalogo Typhonico non invenitur; sed in meo no-  
vo habetur: vocatur sub cornu Tauri Austrino sequens quintæ magnit.  
Versatur hoc tempore in 19 1' 35" & in latit. 4 43 44" Austr.; altera  
uero B quantum ex hac observatione colligere potui, existit in 19 17' 0"  
Gemin. & in latit. 4 47' 0" Austr.: at tertia C, quæ forte nudis oculis non  
conspicitur, degit modo in 19 9' 0" Gemin. & in latit. 5 2' 0" Austr.

Cœterum



Cœterum stella A, Lunam subingressa est ad montem Audum, transit per insulam Cercinniam, per M. Neptunum, mare Adriaticum inter M. Horminum & M. Amanum, per M. Herculis; sic ut inter Paludem Maotidem & ins. majorem Caspii rursus emerserit: unde liquidum est hanc stellulam A fere centralem cum Luna celebrasse conjunctionem. Quamdiu autem sub Luna hæserit ipsa subsequens obseruatio ostendit: nam admodum exæcte illam rursus prodire animadverti.

Altera vero stella B sextæ magnit. Lunam ingressa est ad Paludem Mareotidem, transit per Sinum Scyrticum, ad M. Athos, per M. Latnum, inter montes Sipylum & Macysitum, infra centrum Lunæ, per superiorem M. Moschum, per Fretum Ponticum, atque sic infra insulam majorem Caspii; prodire autem illam non conspexi: ob Lunæ decliviorem situm, vaporesque ei adhærentes.

Mensi. dies st. n.	Temp se- cund horol. ambul. Hor ' "	Anno 1683. O C C U L T A T I O Duarum stellarum cum alterius transitu.	Distant & Altitud. o ' , !	Quo Instrumen- to. Tubo egre- gio.	Tempora ex altitud. corigenda Hor.
April 2 ie Veneris vesp.	9 53 30	Initium Occultationis Stellulæ Majoris A. 5. m		Tubo	
	10 8 30	Conjunctionis Lunæ & Stel- lulæ C, distabat à Lunæ cornu inferiori	o 4 0	Tubo	
	10 29 36	Initium Occultationis stellulæ B, 6 magn.		Tubo	
	10 52 50	Finis Occultationis stellulæ A. 5. magn.		Tubo	.
	11 45 30	Altitudo Lyræ Eadem	31 44 0	Quadr.	
	11 46 30	Altitudo Denuo	31 55 0	Orichalc	
	11 47 50	Pro corrigendo tempo- re.	32 6 0		

3 Die 2. Maii vesp. hora 11 o' o" Luna supra Stellulam in radice caudæ *Cancri* transibat, quæ modo versatur in 27 53' 37" *Cancer*. & in latit. 2 18 42" Austr.; sic ut in ipsa Conjunctione non nisi ad 12' à Lunæ cornu infer. abefset.

Hora 12 o' o" eadem die, etiam alia *Fixa*, sed minutissima tecta est, quæ in Catalogo alias non habetur. Quantum conjicere dabatur, hærebat in 28 30" *Cancer*. & in Latit 1 54" Austr.

4. Die 3 Maii hora 9 12' *Mars* Conjunctionem celebrabat cum penultima stella ale *Austrina virginis*, quæ modo degit in 13 49' 14" *Libr.* & latit. 1 48' 33" *Bor.* sic ut in ip'a Conjunctione vix ultra 40 *Mars* infra dictam stellam incederet.

5. Die 4 Maii vesperi Cœlo perquam sudo luna decrescens plusquam bi-  
flecta *Regulum* occultavit, quam egregiam *Occultationem* animitus exoptasse  
ut more meo observare potuisset; sed ob rationes maxime prægnantes atque  
indispositionem corporis id pro voto fieri haud potuit. Nihilo minus ta-  
men

1555

men ipsum momentum *immersionis* accuratissime notavi, id quod incidit hora  
11 17' 20" vesp. secundum horolog. Ambulat. ex sublequente altitudi-  
ne *Lyrae* corrigendum; sed *Emersonem*, ob rationes dictas, minime deprehen-  
dere mihi licuit. Linea itineraria incessit per *Mare Pamphilium*, infra insulam  
*Carpathos*. Ins. *Cyprum*, infra sinum extreum Ponti & sinum inferiorem *Maris*  
*Caspii* Hor. 11 24' 42" secundum horol. ambul. Altitudo *Lucide Lyrae*  
observata est 44° 39' 0"; ex qua initium *Occultationis* corrigi potest se-  
cchio Luminis & Umbræ per *Lacum Nigrum Majorem* ad Ins. *Corsicanam M.* *Nj-*  
*conium* per lacum *Strymonicum* ad Ins. *Rhodus*, per M. *Sinai* & M. *Techisandam*  
incidit.

6 Die 31 Maii vesp hora 11 45' 0" *Regulus* rursus à *Luna* tegi po-  
tuisset, ut mihi tum videbatur; sed citius occiderunt, quam id fieri potuit.  
Distantia namque *Luna* à *Regulo* erat fere adhuc tanta, quanta alias est stella  
illa in Coxa à Tergo *Ursæ Majoris*, fere 4° 30'.

---

## O X F O R D,

Printed at the *THEATER*, and are to be sold by *Moses Pit* at the  
*Angel*, and *Richard Chiswell* at the *Rose and Crown* in *St. Pauls*  
*Church-yard*. *Hen. Rogers*, at the *Sign of the Bible* in *West-*  
*minster Hall*, and *Sam. Smith* at the *Princes Arms*  
in *St. Pauls Church-yard*. 1683.